QVÆSTIO MEDICA,

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVIII. DECEMB. M. FRANCISCO BOVIONNIER DOCTORE MEDICO MODERATORE.

674

An speciosa Sanitas suspecta?

AD PROCVRANDAM humanæ vitæ beatitudinem, facit imprimis sanitas, bonum honore, diuitiis, prole, amicis, principatu & id genus aliis fortunæ bonis etiam Sapienti minimè aspernandis, præstantius & optabilius; non est viuere sed valere vita. Definitur sanitas interdum operatione, estq; τῶν φυσικῶν δυνάμεων ἀπαραπόδιστος ἐνέργεια rectius ἕξις καὶ δυνάμεις καὶ κατασκευή. Talibus functionibus rectè & conuenienter obeundis necessaria. Functionibus natura præfecit facultates, facultatibus idonea subierit instrumenta, partim legitima primarum qualitatum commẽsuratione temperata (formas elementorum in mixto retineri impossibile est quemadmodam & εὐκρασίαν σταθμῷ καὶ μέτρῳ temperatam exurgere) partim etiam conuenienti structura, magnitudine, numero conformata.

CVSTODIENDÆ valetudinis curam artifex nobilissimus & planè ἰσόθεος ac homini Deus Medicus gerit, atq; id triplici officio præstat φυλακῇ προφυλακῇ θεραπείᾳ præsentem similibus seruat, labantẽ & absentem contrariis pari gradu restituit & reuocat, præstãtissimum hoc Medicinæ munus male olim ad gymnastas & pœdotribas relegatum. Non minus dolenda hoc tempore multorum cæcitas, qui conseruando tanto bono minùs student & ea consilia negligunt, quæ si saperent, magno cum suo fructu ad sanitatis custodiam à Medicis acciperent, eoq; sæpius venienti morbo occurrent. An homo sanus solutus legibus medicis viuere debet, suæq; spontis esse, nec vllis se præceptis obligare ac neq; Medico, neq; Iatralipta indigere? Annon homini sano medice viuere, miserè viuere est, minimè verò, quia nisi maturo consilio atq; ope medica prospiciatur, homo totus à natiuitate morbus cum sit & tam internis causis, quam externis iniuriis expositus, latitantia morborum semina velut in suo sinu gerens, de illo sanitatis fastigio per facilè deturbatur.

SANITATIS eximia est latitudo non exiguis conclusa cancellis aut limitibus definita, multo minùs in puncto posita, ne in δυσπάθειαν relabamur. Annon homini ex quo in lucem editus est, ad vltimam vsque senectam, sano esse licet? Istæ ætatum metaptωses (mihi crede) luce meridiana clariùs demonstrant, εὐκρασίαν καὶ συμμετρίαν, καὶ εὐχροιάν, sine qua ne sanitas quidem fingi, aut excogitari potest, magis & minùs suscipere καὶ πλάτος ἔχειν πάμπολυ. Annon idẽ licet ex functionum diuersitate colligere? Sanè alius acutiùs cernit, alius obtusiùs, alius robore pollet, alius debilior; omnes tamen intra sanitatis terminos coërcentur. Sed neq; negari potest in ista latitudine quiddam dari præstantiùs & perfectiùs quod optimæ constitutionis & εὐεξίας nomine significatur voce non tam constãtiam & dispositionis diuturnitatem τὸ μόνιμον καὶ δύσλυτον quam integritatem & perfectionem innuente, quæ non arte, sed sola natura comparatur, ab omnibus tamen expetitur, vtq; pulchrum robustúmq; ac longæuissimum reddat, morbis potentiùs resistat & operatione perfectissimas habeat.

AT DECIPIMVR plerúmq; specie recti perfectissimæ sanitatis καὶ τῆς ἀρίστης κατασκευῆς ἢ τῆς ἁπλῶς εὐεξίας nomen Athleticæ polysarciæ tribuimus, quæ tantum abest, vt in bonis ducenda sit, quin si ad supremum plenitudinis proueh[a]tur, periculum & quidem præsens minatur διαθέσεις ἀθλητικὴ οὐ φύσει ἕξις ὑγιεινὴ κρείσσων. Propterea quò quis ad Athleticam dispositionem propiùs accedit, quò plenior est, quo speciosior & coloratior (quod etiam in morbis plerumq; mali ominis est) suspecta debet habere bona sua & εὐεξίαν illam εἰς ἄκρον, perductam ἐν τῷ ἐσχάτῳ ἐοῦσαν reformidare, Ab illa imprimis triplex periculum imminet ῥήξεως, σήψεως, ἀπολήψεως: Sic vasa nimiâ sanguinis quantitate distenta disrumpũtur interdum in thorace potissimum & pulmonibus, ac purpuream vomunt illi animam nullis vnquam astringentibus retinendum. Sæpius febres omnis generis, putridæ maximè à Synochi exoriuntur transpiratione & flabellatione prohibita, quæ post ἔμφραξιν altera putridinis parens postremo loco venarum capitis interceptione Apoplexiâ excitatur imo & repletione sanguinis per internas iugulares in homine non in brutis exterioribus ampliores in cerebri, ventris & cauitates affatim irruente.

NON minùs igitur sibi præcaueat quo quis plenior, quo speciosior & coloratior de repente factus est quam mala vereatur, qui contra consuetudinem multum emacruit & colorem decorémq; amisit. An ille Platonis consilium sequi debet, (qui cum speciosam corporis sanitatem haberet suspectam, Academiam in loco Athenarum pestilenti elegit ὅπως ἀποκόπτοιτ᾽ ἄγαν εὐπάθεια οἷον ἀμπέλου τῶν εἰς τὰ περιττὰ φορᾶν) Absit verò vt dum vni vitio declinãdo laboramus in contrarium relabamur & charibdi euitata ad alium scopulum impingamus. Nulla dispositio pestilentiæ magis exposita quam plethorica. Habent Asclepiadæ certiorem gliscentis plenitudinis & veluti luxuriantis bonæ nimium habitudinis comprimendæ & reseruandæ rationem, quàm vt insalubri loco exponant, quos seruandos suscipiunt. Ac sanè interdum spontè plenitudo soluitur p. larga è naribus sanguinis eruptione, vt iuuenibus, sic Athleticę & Pancraticę valentibus perquam familiari, Item cruento alui profluuio & plethoricis & lienosis & mutilis consueto, sanguineæ vomitiones hoc ipsum nonnunquam præstant: Imò plures visi sunt, quibus aliqua venula dehisceret & reserato in habitu corporis orificio sanguinem post certa interualla funderet. Verùm eiusmodi naturæ beneficia expectare minimè tutum est, multò minùs extremam plenitudinem, aut inedia, aut labore, aut frictionibus, aut catharticis, aut diaphoreticis discutere velle cum plenitudinis summa sunt omnia, vnum in Phlebotomia quamprimè celebrata perfugium est μὴ βραδέως, an ad animi deliquium? licuit semperq; licebit conditionibus omnibus consentientibus, alioqui quod vnica vacuatione detrahi nequit, κατ᾽ ἐπαφαίρεσιν longè securiorem educitur.

Ergo speciosa Sanitas suspecta. 121

Proponebat Lutetiæ REMIGIVS LEVESQVE, Campanus Rhemensis. Anno R. S. H. 1625.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Joannes Berault.	*M. Claudius Lienard.*	*M. Joannes Cousin.*
M. Franciscus Mandat.	*M. Renatus Moreau.*	*M. Hieronymus Goulu.*
M. Franciscus Quiquebœuf.	*M. Dionisius Allain.*	*M. Henricus Blacquenod.*

